FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS...

Franz Ernst Bruckmann

55

FR. ERNESTI BRVCKMANNI,

PHILOS. ET MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CVR.
ET SOC. REG. SCIENT. PRVSS. COLLEG. ET
POLIATRI WOLFFENB.

EPISTOLA ITINERARIA LV.

SISTENS

RELIQVA VRBIVM ET LOCORVM SIGNA MNEMONICA,

AD

VIRVM, EXCELLENTISSIMVM, CONSVLTISSIMVM ATQVE PERLITTERATVM, DOMINVM,

DOMINVM
CHRISTIANVM
NETTELBLADT,

JVR. VT. DOCT. ET PROF. ORDINAR. ACADEM.
GRIEFFSWALD. CELEBER. &c.
FAVTOREM PLVRIMVM COLENDVM.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.

VIR EXCELLENTISSIME ATQVE CONSVLTISSIME,

AMICE ET FAVTOR

NVNQVAM NON PLVRIMVM DEVENERANDE!

PRomiſſis ſtare & fidem datam ſervare, omni tempore utile, neceſſarium juxta ac nemini non jucundum. Sub finem antecedentis ultimæ epiſtolæ reliqua ſigna mnemonica, hinc & inde veritates quasdam hiſtoricas proponentia, *Tibi*, *Vir Prænobiliſſime atque Doctiſſime*, offerre pronuper pollicitus ſum, quare et, ſine ullis verborum ambagibus, primo loco in medium producam iſtud, quod in oppidulo parvo Miſniæ, ad Muldæ flumen ſito, *Noſſen* vocato, luſtrandum. Hic loci, in ſummo ad portam templi, coſta gigantis, uti perhibetur, ſuſpenſa cernitur, quam vero ad Oſſa Ceti vel Elephantis, ſalvis aliorum judiciis, referimus. Variis in locis, v. g. Brunopoli in angulo ad domum quandam, non procul a porta Petrina, permagnam dorſi vertebram; it. in vico Walbeccenſi, Principatus Halberſtadienſis, ad templum Canonicorum co-

ſtam

ſtam procere grandem ex fune ferreo ſuſpenſam, obſervavimus. Multis retro annis, tempore papatus caliginoſo, ſingula hæc oſſa ingentia ex iſto permagno piſce, qui Jonam, Prophetam fugientem & a nautis ex navi in mare dejectum, deglutiverit & in vaſto abdominis ventriculo, ſpatio dierum trium, per Oceanum circumportaverit, deſumta, ſed absque ullo veritatis fundamento, perhibebantur, hancque quoque ob cauſam, religionis ergo, in templis, ad ſacella & portas hinc & inde ſuſpendebantur.

Oſnabrugæ, Weſtphaliæ figura quædam ſotadica, quæ ad angulum quendam templi Evangelico-Lutheranorum, St. Mariæ dicati, cælato & elato opere exſculpta, videnda, a quibusdam urbi pro ſigno vindicatur. Exhibet, ſed pluvia jam admodum detrita, guttis tempeſtatibusque, quibus expoſita, excavata, nec non ſeris ab annis valde obſcura reddita, diabolum, alvi ſcybala in ollam deponentem, & vetulam, cui facies paſſa rugoſior uva, contenta in olla agitatione permiſcentem. Hoc ſignum elate in lapidem cæſum, in quadrangulo plus minus duos pedes altum. Me judice, eſt laſcivum & ſubabſurdum ornamentum, & inventum parietarii vel ſtatuarii cujusdam, qui hocce templum cum aliis artis fabræ magiſtris exſtruxit, & hoc in dicto ædium angulo locavit. Quod vero ad ædificium ſartum & tectum per ſe attinet, ob antiquitatem, imagines & figuras perpulchras, arte ſtudioque ſingulari cælatas, juxta ac lapidum ſtructuram firmiſſimam, etiam atque etiam mirandum. Optimum urbis ſignum mnemonicum ſit turris templi Evangelicorum, Divæ Catharinæ dedicati, præalta, quæ in omnium & ſingulorum oculos undique adventantium ſtatim incurrit. Inter omnes altas, quas pluribus in locis, variisque in regionibus, hinc & inde vidi turres, non facile, me cogitante, altiorem & ampliorem obſervavi. Hanc ob turris molem & tempeſtates turbidæ & proceelloſæ in hanc urbem haud raro

ſua fulmina coelo demittunt. Hiſtoricus quidam certus & illuſtris ſequenti verſiculo de hac turri dixit:

Der Thürme Urſprung iſt nichts als *Ambition*,
Daher des Wetters Strahl ſo offt ihr rechter Lohn.

Hujus verſus conformia teſtimonia Biblia ſacra Geneſ. II. & Plinius Lib. VII. c. 56. nec non celeber. Stryckius de jure Sabbat. c. 4. §. III. num. 94. in lucem veritatis proferunt. Porro præcipuum urbis monumentum eſt turris, dicta der Bocks-Thurm, quæ vero minime, ut M. Zacharias Goeze in programmate, de antiquiſſima urbis Osnabrug. turri dem Bück putavit, delubrum carioſorum deorum fuit, nec a Jove Hammone nomen habet, ſed mihi opinio iſta, quam hiſtoricus quidam vetuſtus certa menſura priſca admodum pulchre expreſſit, potius arridet:

Der halbe Mondenthurn, ſo mit dem Bock gezeichnet,
Und der von deſſen Bild auch ſeinen Nahmen führt,
Iſt ohngezweiffel alt, doch wer ihn recht beſchauet,
Wird augenſcheinlich ſehen, daß er ſey auferbauet,
Zum Schutze ſeiner Stadt, und nicht dem Bock zu ehren,
Im rohen Heydenthum, und wäre auch, wie wir hören,
Daß bey dem Bau ein Bock, von oben auf die Gaſſen,
Durch einen Meiſter-Sprung ohn Schaden ſich gelaſſen,
Und daß darumb ſein Bild an ſolchen Ort gebracht,

So

So wäre doch der Thurm zum Schutz der Stadt gemacht,
Sonst wie *massive* Werck die *rüde* Bau-Kunst deuten,
An diesem Bockes-Thurm, so zeigt der Brauch auf Zeiten,
Da, weil die Grafen hin gefangen sein gesetzet,
Auch das *Decorum* muß nicht sonders seyn geschätzet.

In hac turri, ejusque superiori parte ſtat arca fortis & robuſta, quod ad formam externam triangularis, ex ligno querno craſſo & ferro duro fabricata, in qua captivi, qui ob crimina peracta ultimum vitæ terminum exſpectant, in vincula conjiciuntur & in cuſtodia tenentur. Simon, Comes Lippienſis, hujus carceris inquilinus, & olim Anno 1275. fuit, nam, cum iſte Dominus Oſnabrugenſium pecora in oris regionum vi & clanculum abduxiſſet, ab his captivus comprehenſus & in dicta turri, ad carceres quatuor annorum, damnatus fuit, uſque dum Imperator juxta ac alii imperii Proceres pro Comite interceſſerint, ex quo factum, ut dimiſſus abierit. Confer. Reuſneri Genealogia Imperator. Regum, Principum &c. & quidem Auctar. pag. 65. Reliqua urbis & viciniæ monumenta, quorum plurima ex antiquitate relicta proſtant, nempe: Die Düvelsburg, die Schlagfelder bey Wahlenhorst, die Todes-Heyde, die Begräbnis-Steine, Opfer-Steine in monte Gadberg, baptiſterium Widekindi in pago Belem &c. compreſſis labris & ſilentio in præſenti prætereo.

Plaviæ, *Plaven*, in Regione Variſcorum, in mola quadam ad portam Strasbergenſem, multis retro annis in foſſa, aquam ad molæ rotas ducente, ſtatua lignea natans a ſervis molariis intercepta & in mola poſita fuit. Fabula de hac eſt ſequens: Hoc ſimulacrum non poſſe,

nec debere ulterius de loco in locum promoverit, aliàs enim omnes in mola machinæ & rotæ destruerentur nec non ruinam paterentur. In veritatem traditionis diversa adducere incolæ volunt exempla, quod, quando quis istud de loco movere & in aliam stationem auferre conatus, derepente varia damna & jacturas accepisset, sic ut nunquam non coactus fuerit, idolum in locum pristinum, ex quo desumtum, reportare. Tantum de hoc, quantum quis volet, per me licet, credat.

Schwartzstein, pagus Prussicus, viatoribus par solearum equinarum ferrearum insolitæ magnitudinis, quas cacodæmon pedum plantis fraudulentæ cauponæ clavis affigere jussisset, in hunc usque diem in templo exhibet. Conf. Erasmi Francisci **lustiger Schaubühne allerhand** *Curiosit*äten P. I. pag. 801. &c. Historia ita sonat: In pago quodam, ad Dioecesin Schwartzstein pertinente, hospita dolosa, quæ advenis, mansionem quærentibus, mendaciis & fraudationibus pecuniam ex marsupiis subducebat, &, juxta diaboli arithmeticam, ejusque creta perseveranter X. pro V. scribebat, pandocheum habuit. His suis tectis ac sedibus ignotum aliquando adventorem, qui parata pecunia apud hanc vetulam dolosam divertebatur, recepit. Hunc non aliter, ac reliquos, tractavit. Advena prodigus, cum non vulgares fecisset sumtus, ratione a caupona ducta, non sufficiens sibi esse viaticum, ad solvendum, residuum, simulavit; ratio enim præterea duplo major calculata erat. Hospes hinc gravamen duxit, prius vero errorem calculi accusavit, forsan mala creta in culpa foret, quæ semper, pro linea simplici, duplicem annotasset? siquidem impossibile, se tantam potando fecisse rationem. Monstrat porro vetulæ calculum in pileo, in quo nunquam non singulas mensuras annotasset, testesque producebat adstantes, qui sine dubio istum scribentem in pileo observassent? Mulier avaritia turpissima summe prostituta nec non rubore in

in genis perfusa, ac si facinorosam multiplicationem intelligeat & amaret, hinc in omnium præsentia nimis deformata, in se ipsam vehementes eructabat maledictiones, imo, si injuste & false mensuras annotasset, satanas perniger se vivam in persona subduceret & in se equitaret! Quid fit? advena adhuc secunda vice adstantem, qui semper istum in pileo scribentem & mensuras a vetula apportatas notantem observaverat, testem produxit, simulque sceleratam & improbam, capillorum cirris deprehensam, isto loco per fenestram, non sine singulorum formidabili terrore, exportavit.

Nocte media quidam equo vectus per pagum **Schwarz = Stein** transit, fabricæ fores pulsat & a fabro requirit, ut equo suo citius novas soleas ferreas clavis affigeret, se enim potenti cuidam domino in servitiis esse, & in præsenti, sine ulla mora, cursorem in equo volantem agere debere. Broutes iste indignabundus exspectationem, cum nox sit nigra, versus diei lucem ab eo postulat; commendat equiti somnum, cum & ipse esset defatigatus, sopore oppressus, qui refectione nocturna maximopere opus haberet. Sed surdo narratur fabula. Omnis hæc disputatio inanis fuit. Viator fores vi denuo concutit fortiori, excitat clamorem & stridorem, stertens maledicit, spiratque minas, donec faber cum suo Pyracmone somniatore de lecto surgit & soleam ferream, equi pedi aptam, quærit. Sed nulla invenienda; hinc novam, pedi caballi prius accurate considerato, in igne & incude parat, & quidem satis magnam. Hanc fabricatam pedi clavis affigere tentat, animadvertit vero statim, istam pro ungula caballi adhuc multo perpusillam. Invitus hinc & quasi iratus adhuc priori majus ferrum equinum format. Sed & hoc nondum quadrat, est iterum nimis minutulum. Sic tertio ad mensuram, ab equo sumtam, non sine peculiari stupore, calceum ferreum prodigiose vastum cudit,

cudit, apportat & clavis pedi equino affigere tentat. Ictu vix primo in clavum & equi ungulam adacto, caballus ejulans verba profert sequentia miserabilia: Væ! Væ! o compater! desine! Hæc lamentatio miserandum in *modum* semel atque iterum continuatur. Broutes hinc perterribus, signo crucis se munit, in domum advolat, portamque post se firmissime claudit, persentiscens, qualem equitem esse, diabolicum nempe spectrum. Die insequenti vetula lacrymis dolorem indicans, gemitusque edens sonoros, palustri uligine sepulda inventa fuit, & domum semimortua quasi translata. Ex gravi vero hac valetudine post explicata & refecta, reliquum vitæ spatium, in dolore commissorum delictorum, poenitens peregit. Quod ad hujus historiæ veritatem attinet, documentum vetus manuscriptum in fidem & memoriam in conclavi quodam judiciali Prætorii Electoralis istius viciniæ asservatur.

Tubingæ occurrit 1) fons **der Görgenbrun** dictus, ad Basilicam seu templum St. Georgii, in quo St. Georgius, eques strenuus, ex saxo fabricatus in pisce, vulgo **Lindwurm** nominato, cujus cauda laudatum fortissimum heroëm circumlaqueat, sedet. Hæc statua a pluribus signum mnemonicum esse perhibetur. 2) Aliud signum, **Wort- oder Wahrzeichen,** est os istud prægrande, impudens, in saxum portæ Nicrinæ, **des Neccar-Thors**, incisum, quod proverbio vulgari: **Du machst ein Maul, wies Neccar-Thor!** ibidem loci occasionem dedit. Unde vero ortum, & quid significet? dicere non possumus. Inter curiosa urbis tertio refertur curia, in cujus horologio & ejus gnomone lunæ cursus, phases, figuræ & adparitiones, miratu dignæ, intuendæ. In hac machina automataria ingeniosa & artificiosa, ad singulas lunæ mutationes, crescentia & decrescentia lunæ in indice horologii obser-

vantur,

vantur, nec non ſigna cœleſtia juxta ac planetæ primarii pro tempore apparent, aſcendunt, deſcendunt, retrocedunt & evaneſcunt. Inſuper extra curiam, præter horologium deprædicatum, Juſtitia picta cernitur. 4) Viri ſtatua lapidea ad templum St. Georgii, cui rota crura contuſa, & qui crucifragio affixus. Fama dicit, & ſequens traditio, ſive fabula forſan, de eo circumfertur. Iſtum virum cum quodam fortunato & ditiſſimo domino iter feciſſe, & ſolum rediiſſe, hinc in latrocinii ſuſpicionem lapſum, imo effective in cuſtodiam datum, juxta ac torturæ criminaliter ſubmiſſum, cruciatum vero in eculeo perferre non potuiſſe, ſed confeſſionem facinoris capitalis, quod nunquam tamen peregiſſet, tormentis patefeciſſe, qua facta, crura ei eſſe ſuffracta, & ſic morti traditum; innocentiam vero ejusdem paulo poſt in lucem patefactam, dum, brevi tempore ab executione, ditiſſimus iſte dominus, occiſus creditus, & quem de medio ſuſtuliſſet, ſanus & incolumis Tubingam redierit, quare in memoriam viri innocenter miſerandum in modum trucidati hanc ſtatuam erectam fuiſſe.

In alto iſto caſtello montano *Wartburg*, in quo Sec. XVI. Lutheri Pathmus fuit, ad Iſenacum, quodque Ludovicus ſaltator cognominatus Anno 1140. ædificare incepit, adſunt ſigna ſuper porta fortiſſimæ cujusdam turris quadratæ, caſtellum verſus, nempe 1) Draco Lindwurm dictus, virum ex oris faucibus eructans, ad quem aſſiſtunt aquila & umbo. 2) Vir in leone equitans, &, uti Simſon, rictum iſte devoratorium diducens, quæ nonnulli ad miracula St. Eliſabethæ & Ludovici referunt. Singula in lapidem inciſa durum obſervantur.

Verdæ, Principatus Verdensis urbis primariæ, signum mnemonicum dicitur esse caput monachi, quod ex muro templi cathedralis prostat. Historia de hoc sequens recitatur: Monachum, alii docent herophylacem s. templi dicti cathedralis custodem, (quod majorem probabilitatis lucem habet, cum caput non sit attonsum, sed vulgare, capillo ornatum) calycem sacrum furto clanculum subduxisse, factum vero post pertinaciter abnegasse, diraque imprecatione se ita devovisse, ut, si verum, in lapidem durum commutaretur & in muro, loco isto, quo crassissimus foret, poneretur. Quod tunc, secundum devotamentum suum, protinus factum. Pronunc corpus introrsum sub tecto, nam peryisterium appositum fuit, stat, caput vero a muro prominet & oculis terram despicit. Qui nugis delectantur, fabulam dicunt, caput lapidibus & calce a fabro murario non posse tegi nec claudi, sed cæmentitias structuras æternum quoquoversus paulatim cadivas delabi. Quod minime negandum, nam pluvia ex tecto decidua nunquam non calcem & cæmentorum ferrumen destruit, abstergit & abluit. An historia dicta a viris fide dignis sit annotata? me latet, interim ibidem a vulgo propagatur. In quadam dicti templi fenestra insignia famosissimi rapacis latronis **Störtebeckers**, quæ duos in se continent calyces, quos duæ manus subvertunt, (quod signum cum nomine convenit;) observantur.

Ad signa mnemonica *Viennensia* & pertinet succidia lignea sub porta s. turri rubra sublimis suspensa, cum adscriptione versuali:

Befind sich irgend hier ein Mann,
Der mit der Wahrheit sprechen kan,
Daß ihm sein Heyrath nicht gerauen,
Und fürcht sich nicht für seiner Fraune,
Der mag diesen Backen herunter hauen.

Hi

Hi versus denotant, cuilibet, qui cum veritate, quod sit dominus in sua domo, nec uxorem timeat, profiteri posset, hanc succidiam detrahendi permissum esse. Sed interim hoc lardum jam per plures, quam centum, annos intactum relictum fuit, quo seculi spatio nemo conatus fuit, istud sibi attribuendi, nisi quod aliquando quidam tradiderit, se esse absolutissimum in sua domo dominum, & ob hanc rem succidiam affectaverit. Venia lubenter data, scalaque apportata, ut ascenderet & ad summum, quo succidiam petere posset, veniret; verum se excusavit & petiit, ut alius pro eo scalam conscenderet & istam desumeret, si ipse in persona hoc præstaret, facile vestes suas mundas & honestas maculis conspurcaret sordidis, ob quas facile uxor sua istum acriter allatrare & verbis vehementioribus prosequi posset. Adstantes, hoc in audito, dominum absolutum, non absque vexatione, abire jusserunt, nam ex hoc explorate cognoscebant, istum in sua re familiari minime dominum & imperium habere. Alii perhibent, hanc succidiam, eo tempore obsidionis incolæ in hostes, qui defectum ciborum & omnium rerum in urbe esse judicarunt, integra larda super moenia, in signum copiæ sufficientis & superfluæ alimentorum, projecissent, in memoriam positam esse.

Et sic præcipua locorum signa, quantum potui, breviter & concinne demonstravi. Singula & omnia, dubio procul, suum in carie antiquitatis habent fundamentum, sed in præsenti obscurum; & nullo modo credimus, sine ulla ratione, a majorum progenitoribus antiquitus posita. Plura indubitato veram historiam factam, actam l. gestam, sed literis, rudi & illiteratissimo seculo, non consignatam, hinc oblivioni traditam, indicant. Judæorum statuæ, de quibus nullus dubium movet, illorum in opprobrium erectæ. Monachi & moniales, cum multis in locis in lapidem &

& lignum incisi observentur, historias ab his in monasteriorum cellis non satis prudenter, nec satis tecte actas, nam sic me conjectura fallibilis ducit, docent & innuunt. Diabolus detestandus sæpius occurrens, in horrorem, ut istum peccatores cane pejus & angue non negligenter reformidarent, priscis temporibus serisque ab annis præsumtive hinc inde considerandus positus fuit. Reliquum vale. Deus *Te*, *Vir incomparabilis*, in literarum optimarum emolumentum, diutissime, salve & valide, servet. Dabam Wolffenb. d. 1. Mart.

1737.

